



Exedræ Ecclesiasticæ Sive Concionvm Moralium ... t. ...

In Dominicas totius anni

Schrötter, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1687

XXI. In Domin. In Albis. Cum fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Judæorum, venit Jesus, & dixit eis: Pax vobis.
Ioan. 20. Arg. Paces basilica timor.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56286](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56286)



CONCIO XXI.

IN DOMINICA IN ALBIS.

Cùm fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS, & dixit eis : Pax vobis.

Joan. 20.

ARGUMENTUM.

PACIS BASILICA TIMOR.

I. **D**ignissima Sapientum exedris quæstio est, si Pax nostræ foret conditionis ac naturæ, quam in sede commorari eidem allubesceret? Aud. Et primis quidem votis quispiam decernere posset, haud esse operæ pretium, eidem quærere arces Dardanias, mœnibus, fossis, vallisque circumdatas, omni armorum genere instructissimas, densatis militum copiis refertissimas; sed perquam appositum futurum, palatium quodcunque, aulæis, ac peripetasmatis exornatum. Immò potest Pax tentoria sua sub tilia, vel platano extendere, in horto, aut campo me-

ridiari; in umbra, vel aprico degerere. Cùm enim parte ex una omnis armatura fortium, & propugnacula quævis ad hostem repellendum inventa, atque architectata sint, ne hic inopinatò irrumpat, proterat, maçtet, diripiat, incendat; ex parte altera Pax, si verè hoc nomine digna est, hostem nullum reformidet, ne-tiquam illi aut armis, aut munitionibus opus erit. Thronus illius sit, ubi timor omnis, ac periculum exulat; ubi nemo beatissimo indulgentem otio, inquietet. Ambit enim illa serena mentis gaudia, corporis æquè, ac animi ab omni molestia tranquillitatem.

Pacis do-mus qua sit.

Z Hæc

Hæc nonnullorum de Regia Pacis posset esse opinio, cui favere videtur Author Veritatis cum dicit: *Pax vobis: Nolite timere.* Faceffant timores, adfint gaudia, & securitas, siquidem pacem, pacisque Conditorem præsentem habetis. *Pax vobis. Nolite timere, ego sum.*

Ego nihilominus expendendo hujus Pacis circumstantias, & quod Dominus clausis, ac timore consternatis pacem apprecetur, audeo dicere, vel Facialem Pacis pavorem esse, vel certè eidem cohabitare; nec unquam firmam pacem cum Deo, semotò metu consistere posse. Quod cum elucidare intendo, à largitore pacis gratiam, à Vobis benevolam attentionem effla-

di exordia, hominibus in desideria carnis prolabantibus, & nescio quâ aliâ ratione supremam illius Majestatem irritantibus, justò succensus furore Dominus, per internuntios suos extrema quæque illis intentabat. Hominibus autem præfractâ cervice obnitentibus, & in valle contra eundem scelerum castra metantibus, solvit catadupas cæli sublimiores, mortalesque univèrsos, paucis exceptis, inauditò involvit cataclysmò. *Rupti sunt omnes fontes abyssi, & cataraçta cæli aperta sunt, factumque est diluvium quadraginta diebus, & delevit omnem substantiam ab homine usque ad pecus.* Expendite hîc tantisper, quæ tum facies agonizantis, expirantisque Orbis fuerit? Volatilia cæli, jam diu alarum remigiò fracta, cum nec arboris ullius cacumen, ubi requiesceret pes eorum, invenièrent; nec montis supercilium, in quo illum defigerent; defluebant in undas, tristi concentu, ac mæsto gemitu sibimet parentantes. Bruta in speluncas abditas sese recipientia, in ipsis exundantibus aquis sepulchra miseranda inveniebant; formidabilique rugitu, ac desperatò ululatu vitam exhalabant. Homines stupidi, & attoniti inter tot stages, & circumstans periculum, sensibus omnibus deficiebant. Plorabat infans, quin potens esset mater manum auxiliarem extendere; augebatur in scæminis planctus, & nec vires, nec amor par erat subministrando suffugio; juvenes æquè, ac senes lamentis aëra complebant. Hi primo aquarum impetu hauriebantur; illi natando fessi, extremum sustinebant peri-

Gen. 7.11.

Diluvii horror.

§. I.

Pax stipata pavore salva subsistit.

II. **A**D evincendam propositi mei veritatem, missis sublimibus, ac profundis argumentationum dilemmatis, suffectura credo, ab ipsa omnis discretionis magistra experientia, desumpta exempla, quorum inductione liquidò deprehendere poterimus pacem inter arma, ac pavores nutriri, foverique.

Pax in delubro pavoris habitat.

Quotiescunque cæli, terrarumque Arbitri Deus ad pacis fœdera cum hominibus fancienda descendit, nunquam id citra Facialem Pavorem præstitit.

Secundùm prima adolescentis mun-

Ibid.

periculum; alii ad edita turrium enitentes, cum illis decidentibus duplex, naufragii nempe, & præcipitii tormentum experiebantur. His necquicquam commotus Dominus, *delevit omnem substantiam, ab homine usque ad pecus.* Hoc primavæ extitit in summum cæli, terrarumque Monarcham perfidiæ stipendium, ut qui effusi erant aquæ instar in omnem libidinem, torrentibus abyssi absorberentur, & qui guttâ lachrymarum expiare scelera sua renuerant, Oceano intermino innatarent. Ita nunquam impunè violatur Majestas; ita consanguinea sceleribus nunquam non intentantur supplicia.

Gen. 8. v. 2, 3.

Gen. 9. v. 9, 10.

III. Nihilominus cum nunquam tam solitaria divina Justitia incedat, quin comitem ducat Clementiam, absterfis flagitiis, & justâ Nemese multatis, (ut magnis, excelsisque solemne est mentibus, quæ tam facillè placantur, quam citò efferantur) misertus reliquis mortalitatis nostræ, stetit catadupas, abyssi fontes infrænavit, lymphasque in unum coëgit Oceanum. *Clausi sunt fontes abyssi, & cataractæ cæli, & prohibita sunt pluvia, reverseque sunt aqua, euntes & redeuntes, & ceperunt minui.* Noë in genua ad placandum, Deus ad pacem firmandam sese demisit. *Statuam pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii, nec erit deinceps diluvium dissipans terram.* Utque ratum, fixumque fœdus esset, illicò confectæ sunt tabulæ, pacta incisa, posterisque, ne unquam obliterarentur, his omnino verbis commissa: *Terror ve-*

ster, ac tremor sit super cuncta animantia terra, & super omnes volucres cæli; cum universis, quæ moventur super terram, omnes pisces maris manni vestra tradita sunt, & omne quod movetur, & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia; excepto, quòd carnem cum sanguine non comedetis. Ex his fœderibus ingens gaudium toto Orbe divulgatum, cantatum: *Te Deum laudamus, oblata sacrificia, &c.*

Ib. v. 2. 5.

IV. Verumtamen, quod signum arbitramini in symbolum huic pacis erectum? Numquid rosam auream, aut Jerichuntinam? Numquid oleam decisam, aut lilium? Audite: *Hoc signum fœderis mei, quod do inter me, & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Ohe, quanam hæc pax, in qua Arcus extensus nunquam non imminet cervicibus? Quæ spes firmæ, ac inconcussæ securitatis, Deo armato in vindictam excubante? Quod gaudium, signò ipsò pacis sanguinem præferente? Nonne Pax dubia est, adversariorum armis undique circumstantibus? Quam proclive est, exacerbari Dominum, ejaculari tela, atque superstites omnes de medio tollere? Adde, quòd Arcus hic fictitium quidpiam sit, non reale; colores ipsius apparentes, non veri, ac solidi; ut apparentes, ita evanescentes; quomodo itaque veram pacem indicare queat? Vel quomodo in nube rorida opaca enascens arcus

Fœdus
Domini
cum Noë.
Gen. 9.
v. 11.

diluvium, ac tempestatem non portendit? An non color aqueus, igneusve signa potius sunt, atque phenomēna iracundiæ, quàm clementiæ? Ergo rectius Pax hæc impacata est, tantò formidanda magis, quantò evidentius sub pacis hieroglyphico bellum latet? Ita forsitan quispiam secum, aut etiam alios inter argumentaretur.

E contra tamen, quibus diviniorens mens infedit, probè perspiciunt, artificiosum esse pacis symbolum Arcum istum, utpote non terram, sed cælum versus extensum, petiturum istud citius, quàm illam, si fortè telum ejacularetur; utpote fune ipso destitutum, in evidens argumentum bellici incendii jam sopiti; utpote, qui in cæli concavo, tanquam de laqueari suspensus cernitur.

Iris quomodo Arcus fœderis.

V. Quòd si ramentum Arcus est, timeant illi, qui non verentur exacuere furorē Domini, & funes peccatorum suorum eidem ad suum indere interitum; percellantur, qui attritâ fronte fœderibus ipsius contraveniunt; expalleant, qui sanguinem proximi fundere præsumpserint. Arcus hic ut justis ac timentibus umbraculo, ac scuto est, ita impiis, ac perduellibus exitio, ac exterminio. An non itaque sancta, & æqua Pax, an non justissimæ fœderis conditiones? O Domine mi, pone Arcum tuum in nubibus, non in millibus, sed in millionibus sit exercitus tuus, & in qua regione deprehendes, quòd carnem cum sanguine, panem cum lachrymis comedant, dele eos de terra viventium, & cum justis non scribantur. Sciat

Orbis, quoniam oppressorum Vindex tu es, qui creasti nobilem, & ignobilem; divitem, & pauperem; potentem, atque infirmum.

Ita olim Numen adversum posteritatem Adami arcum suum tetendit, atque de terra viventium sustulit. Jam verò Tartaricum in nos expedit, & diluvium inundans per Portam Ottomanicam minatur.

Ah! quæso vos, servemus pacta Domini Dei nostri, ne furor illius comprehendat nos, & Arcus hostium nostrorum in Arcum fœderis, ac victoriæ surrigantur.

VI. Hanc pacem paulò post excepit nova rebellio filiorum Noë, insultantium quadantenus Superis, & molientium turres, cælo cervice minantes. *Venite, inquit, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cælum, & celebremus nomen nostrum.* q. d. Videamus, quid Superi nobis facturi sint, vel aquarum, vel ignium diluvio, ascendamus ad eos, & possideamus regiones ipsorum.

Gen. 11. v. 4.

Movit hæc stultitia rursus bilem Domino, & immissa in eos confusione linguarum, in extremas usque oras in fugam egit. *Confundamus linguas eorum, & non audiat unusquisque vocem proximi sui.* Nemo cum altero verbo ullo communicet, nemo alteri credat, quisque explodi se ab alio existimet. Sic suis ipsimet interibunt armis. Ubi Helena hæc fuerit, Troja futura est.

Ibid. 11. v. 7.

Discordia subvertit omnia.

Pro-

Protracta sunt hæc per sæcula intergerrima dissidia, in tantum, ut plerique à Deo suo omnino desciscerent, & liberius genio suo litaturi, ad idola colenda deflecterent.

Fœdus Domini cum Israëlitis.

VII. Et hîc piissimus Dominus miseratus cœcitatibus ipsorum, novum cum Gente Judæorum fœdus pangere dignatus est, inque tabulas referre marmoreas: *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Memento, &c.* Hæc si feceritis, eritis mihi in peculium, præcunctis nationibus terræ; & introducam vos in terram, lacte & melle manantem.

Hebræi item sese juramento obstrinxere, sacrosanctè præfata edicta se executuros, nec ulli alii præterquam illi soli homagium præstituros; sanctum ejus Nomen nullatenus violaturos, Sabbatha sanctificaturos, &c. Incisa sunt pacta ista ipsiusmet digito Numinis in tabulis marmoreis, ac deposita in arca aurea, unâ cum manna cœlesti, & baculo Moyſis, Pharaonem flagellante. Caremonia iterum fœderum impletæ, pecora occisa, sanguis effusus, manus data, & accepta. Ubique Pax hæc divulgata est, jubilo festivorum gaudiorum insonante.

VIII. Me tamen, aut magis Judæos angebat scrupulus, eò quod baculus adnexus iis esset fœderibus. Quid enim, mussitabant, portendit hoc sceptrum? Si Sapientem consulimus, dicet: *Disciplina & opus servo, virga & onus asino.* Ergone jam in mancipia radendi, jam fustigandi toties quo-

ties? Hoc baculo periit Ægyptus, Pharaon lymphis obrutus, an non idem nobis timendum? Vah turpiter erratum! Ut detur titulus Deo Creatori nostro, fiat; ut ex parte nostra Nomen ipsius sanctum habeatur, fiat; ut Sabbatha ipsius festivè agantur, fiat, &c. Quod itidem ex parte sua Dominus pollicitus sit terram lacte, melleque manantem, id ei in acceptis referendum. Sed cur baculus appositus? Nec Prophetæ quondam scipio puerum suscitavit, nec hic ad meliorem nos credo vitam ducet. In baculo suo transivit peregrinus Jacob Jordanem; an & nos mendicabula futura? Talibus, aut paribus discursibus, tota inhorruit natio, quoad quispiam attentione exorata hunc in modum perorasse pro concione creditur: Viri fratres, quid solliciti estis, & suspiciones anxie in præcordiis vestris nidulantur? Res ipsa loquitur, & interpretatur mysterium. Si vos fœdus Domini inviolatum custodiveritis, bona terræ in manna adumbrata comedetis. Sin verò eadem transgressi fueritis, vapulabitis multis: *Servus enim sciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.* Estote observantes, & extra pavorem vivetis. Expalleat servus nequam, jubilet, & exulet filius. Hic baculus ejus naturæ est, ut pro ratione meritorum, vel in serpentem, vel in floridam virgam convertatur; ut & hostibus interitum procreet, & sitientibus undas salutes eliciat; ut & Ægyptum

Baculus in Arca quid signet. Eccli. 33. v. 25.

conterat, & morigeros in Terram Promissionis deducat. Si itaque mandatorum, ac fœderum Domini memores extiterimus, pro nobis erit baculus iste, & ut olim liguriebat dracones excantatos, ita nunc absumet hostes nostros. Ut quondam pelagus in hostium tumulos convertit, ita nobis sternet viam inter adversa; ut impiis erat exitio, ita nobis futurus adminiculo. Nixi hoc baculo, & in lubrico erecti consistemus, & inter fluctus tempestatum vadum tentabimus, & gressus nostros in omnibus prosperissime dirigemus. Inter exteriora severitatis signa, beneficia, & fœdera subsistunt securiora.

IX. Nec Pax ista inconcussa permanfit. Ruperunt fœdus perfidi Judæi, & neglecto Domino, conversi sunt ad idola Gentium; rupere itidem gentes aliæ dæmoniis, & non Deo deserentes.

Quid non facit benignissimum Numen, misertum rursus perditionis nostræ, destinat Unigenitum suum in Fœcialem, ac Arbitrum pacis. Et mox eodem adveniente proclamata Pax; Cantatum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra Pax*; fluxere fluentia olei, Jani postes reclusi. Ipsemet verò Unigenitus Dei, Sequester factus, nihil aliud volebat mente præter pacem: *Ego cogito cogitationes pacis*. Necquicquam frequentius tractabat, vel apprecabatur, quàm pacem: *Pax vobis. Pax vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Tandem ut firma subsisteret, non jam in sanguine taurorum, & arietum; sed in proprio firmavit consigna-

vitque: *Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive qua in cœlis, sive qua in terris*. Conditions rursus exaratae, & inter alias: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos. Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. Si quis te percusserit in dexteram maxillam, prabe ei & alteram*; similesque aliæ multæ.

Quæso autem vos, reflectite vos paulisper, ubinam Pax hæc promulgata? Num fortè in regia quapiam? Num inter lilia, & rosas? Num in monte Oliveti? An in campo alio ad delicias exuberantissime effuso? Neutiquam. Ubi ergo? Audite: *Cum fores essent clausæ, ubi discipuli erant congregati, propter metum Judæorum, stetit Jesus in medio eorum, & dixit eis: Pax vobis*. In ædibus obseratis, inter angores, & vitæ discrimina promulgata est Pax Christiana. Per Deum, quid est hoc? Itane controversiæ dirimuntur? Itane expediuntur lites? Itane ad conditiones pacis non descenditur, nisi ubi pavoribus litatur? Ita omnino est; huc Caduceatores accedunt, & Jrenarchæ causas componunt.

X. Id tam compertum, liquidumque erat, vel in ipsis superstitiosæ gentilitatis degentibus Sophis; ut caduceum in symbolum Pacis assumpserint; erexerintque. Videre erat in eo Amphibœnas, hinc inde aculeum exerentes, & certo certius in se ruituras, nisi mediatore baculo inhiberentur. Id ipsum nobis eveniret ablato baculo timoris Domini, loricaremur invicem, ignemque spiraremus, nisi virga Domini nos dirimeret. Parum dico, nunquam auda-

Christus
Fœcialis
noster.

Jerem. 29.
v. 11.

Joan. 20.
v. 20.
Joan. 14.
v. 17.

Coloss. 1.
v. 20.

Matth. 5.
v. 44.

Joan. 20.

audacius in ipsum Numen per contemptum mandatorum ipsius insurgere-mus; quàm si omnis ferula, omnis timor exularet. Fac enim hunc vel ad modicum excedere ex præcordiis, actutum toto agmine cohortes ingruent criminum.

§. II.

*Fatiscit Pacis Basilica, Timoris
basi submota.*

XI. **F**lorebant Protoplasti parentes nostri inter amœna paradyfi virétia eâ securitate, ac beatitate, quâ major vix animo, vel de ipsis cœlitibus cõcipi potest. Tota illorum vita jugi divinarum rerum contemplatione trahebatur, & inter Angelorum, ipsiusque divinitatis spectacula distinebatur, eratque in iis animi mundities summa, cogitationes omnes cœlo defixæ, voluntatis cum divina absoluta, perfectissimaque consensus. Invidit beatam hanc sortem homini juratissimus hostis Sathanas, deque eadem evertenda consilia coquere cœpit. At quonam ex capite exorsus? Num cœlestia meditando studium abolere; aut voluntatis rectitudinem invertere, aut amoris ardorem extinguere est aggressus? Neutiquam. Num fortè secessionem à Deo faciendam suavit, qui post traditum totius orbi imperium pomi unius esu interdiceret, nec prudenti, nec satis æquo consilio? Nihil minus. Num otio indulgere, aut fingere auro statuas jussit; posteris adorandas, quos ipsi fecissent Deos? Nec istud. Quid igitur? Unam

divini timoris aciem hebetare est aggressus, mortisque minas, quas pomi gustus allaturus erat, infirmare, nec ultra moratus abscessit: *Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Et ecce, ut primum mulier metu soluta, illico vetiti pomi cupido incessit; atque unâ odium adversus legem, contemptus pœnæ, oblivio denique Conditoris facto agmine irrumpere. Ut adeo non ambigeret pomum Deo anteferre, ad ipsas arboris radices originariæ gratiæ cimelium abjicere, felicitatis promissæ præmia conculcare, & imperio quod absolutum, in omnes animantes obtinebat, se protinus abdicare, inque Numen ipsum tremendum audaci, ac propudiosâ rebellione insurgere.

Quodd si à parentibus nostris ad nos ipsos reflectamus, ejusdem nos genii esse deprehendemus. Possumus etiamnum frui cum Deo pace, tamen si mentem nonnunquam à contemplatione avocemus, possumus florere castitate, tamen si lachrymas non fundamus, legis tabulas retinere, quamvis sacrorum Vatum volumina oppilemus; at nisi timeamus, periiimus. Actum de pace ac securitate, ubi vexillum attollit audacia, & præsumptio.

XII. Meminit cujusdam personatæ pacis Isaias Vates, & ait: *Constraverunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces.* Sustulerunt omnia armamentaria, & incudes, ne fortè tinnitum malleorum, pax ipsorum quidpiam offensi pateretur. *Nec faber ferrarius inveniebatur in omni terra Israël.* Descendebat ergo omnis Israël ad Philistinim, ut

Gen. 3. v. 4

Adami felicitas.

Ejusdem ruina unde?

Pax semoto timore impacata. Isa. 3. v. 4.

1. Reg. 13.

exa-

exacueret unusquisque vomeres suos; & ligonem & securim. Quotidiana verò Optimatum exercitia erant, spheristeria visitare, epulari in cristallino vitro, genio litare, symphonia pascere aures; ubi sedere ad abacum tædebat, spatia imaginaria obambulare, colloquia de moribus Perficis, de nuntiis exoticis, de cirris mulierum, tractare, in curribus, aut carpentis auro, argentoque obductis, aut incrustatis puriorem captare auram &c. Pacem hîc forsitan sibi quispiam deliciarum persuasisset; at sub his deliciis, sub hac securitate, & licentia bellum gliscebant. Quippe his ita constitutis, & timore omni sequestratò, irruerunt repente Philistiim, & improvisos, incautosque adorti, longè, latèque regionem ipsorum depopulati sunt. *Congregati sunt Philistiim contra Israël, triginta millia curruum, sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in litore maris.* Quid hîc animi? quid consilii præsummentibus de alto pacis silentio Judæis? Addit sacer textus: *Videntes igitur filii Israël se in arcto positos, absconderunt se in speluncis, & in abditis, & in petris quoque & in antris, & in cisternis.* Ecce hic fructus pacis pacati in Israël, ubi timore amandato, vana regnabat præsumptio, audaciâ solâ frenos moderante. Idem nobis timendus, si exauthorato pavore, arrabonem sceleris admiserimus audaciam; quasi semotis excubiis, irruet Philistæus Avernalis, obvia quæque demoliturus, captivosque abducturus.

XIII. Certè sapientissimus, ac pacificus Salomon nunquam nisi inter sexa-

ginta validissimos excubitores cõquieverat: *Ecce, ait Sponsa, lectulum Salomonis fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, uniuscujusque ensis super femur suum.* Hac ratione in alta pæe, ac quiete inter excubias, & pavores, securus degebat Rex pacificus. Noverrat sanè ubi semotis vigiliis feræ, & ostia hiant, ibi pacem meridiari non posse.

XIV. Ad Herinaceum visitandum officii, ac urbanitatis (ut videbatur) gratiâ, accessit Lupus, præmissaque benevola appreciatione inter alia illum affatur: *Frater mi ex medullis dilecte, lubens tecum paciscerer, nisi semper caphractus incederes; ita enim nec suavium, nec basium in amoris tibi pignus dare, nec ad votum complecti te queo. Si me amas, depone hanc sarisfam, & dexteras arctiùs jungamus. Coalescent inter nos fœdera, ubi caro carni arctiùs fuerit conglutinata. Cui Herinaceus: O mi Frater Lupe, novi quò tendas, carnes, non meam amicitiam prehenfas. Malo semper paratus esse ad pugnam, quàm hosti ingruenti nudum latus exponere, aut circumspicere antra non semper profutura. Perbellè ille sibi consulit, quisquis pacem in pavoris antro, ac satelitem catervis constituit.*

XV. Hæc eadem nobis mens sit Aud. eadem dexteritas, utque ab hostibus nostris tam corporalibus, quam spiritualibus tuti simus, tela illorum eminus prospiciamus, inque eorum machinamenta oculum intentum figamus. *Revolvamus identidem illud Regii*

2. Reg. 13.
v. 4.

Ibid.

Fabula
Lupi &
Herinacei.

Timoris
commodi.

Psal. 37.

gii Vatis : *Inimici mei vivunt, & confirmati sunt super me.* Ut in presenti pacata compositaque sunt omnia, induciæ hæ sunt, & brevis malicia facillè in decumanas tempestates abitura. Nulla enim in hac mortalitate tanta est securitas, cui periculum non subfit, nec ulla tranquillitas in mundi hujus Oceano, quam modico excitata vento tempestas decumana non excipiat. *Quoniam inimici mei vivunt, & confirmati sunt super me.* Vivunt hostes æquè corporales, ac spirituales, invigilantque in omnes occasiones, ut me perimant, meaque diripiant; & ego omnis formidinis expers resupinabor? *Inimici mei vivunt, & confirmati sunt.* Multum mihi intulit illa persona, quam utinam nunquam agnovissem, & etiamnum vivit, & me forsitan in tentationem ac peccatum rursus inducet. O quàm cautum, quàm circumspectum, quàm pavidum me esse par est; quatenus ejus tendiculas, ac laqueos eva-

dam. *Inimici mei vivunt.* Et quantumvis ista non sit, quot sunt alii, & aliæ? Num una Bersabea in mundo, quæ Davidem illaqueare queat? Num una Ægyptia, quæ Josepho flammis supponat? Num unus perversus socius aut una mali occasio? *Ah inimici mei vivunt.* Vivit non unus, sed milleni, & milleni Diaboli; qui me supplantare, & laqueis suis irretire adnituntur. Vivit etiamnum appetitus honoris, cui quondam supplex accidi; vivit Mammon, cui tot hostias litavi, vivunt deliciæ, & millena irritamenta malorum, quæ me à Deo meo avocare queunt. An ergo uspiam alibi, quàm in antro pavoris, quàm in foribus sensuum meorum opipilatis pacem sperare potero? Ah non potero, frustra alibi illam quæro. Hic mecum habiter, quisquis illam desiderat, & unà cum timore, ac tremore salutem nostram operemur. Auxilio tuo Christe Redemptor,

Fiat.

